enim a fluctibus in altum supra galêam, et rursum remergebatur in profundum ita quod de (61 A) galêa non poteramus eam videre, objicientibus se fluctibus. Si quis ergo illis temporibus de galêa in barcam vult descendere, vel de barca in galêam ascendere, oportet eum supra gradus galêae stare, et diligenter considerare, quando barca ita prope galêam sit, quod eam possit saltu attingere, non enim permittunt eam proprius accedere, et dum ita prope advenerit, statim oportet insilire, quia in momento, nisi saltaverit, iterum longius a galêa rapitur fluctibus, et dum in barcam saltaverit, non potest se in ea continere, quin cadat, vel in faciem vel in dorsum pronus vel supinus, quem inexistentes levant. Et illud est unum de majoribus et frequentioribus periculis peregrinorum quod quidem in principio durum videtur, sed postquam homo assuescit, opere facit, quod prius vix prae timore ausus fuit inspicere, vel cogitare. Vidi foeminas timorosas in principio, quae vix mare audebant inspicere, ita usu confortatas, quod jam de galêa in barcas audebant saltare. In principio quidem videtur homini, quod potius velit in galêa manens miserias sustinere, quam per tam periculosum saltum in bonum et solatiosum portum transire; sed quando homo multis diebus in navi tempestatibus et miseriis est conquassatus, et inedia extenuatus: dum venitur ad aliquem bonum portum, antequam maneret, quinque saltus periculosos subiret. Eadem autem difficultas est, dum barca ad litus venerit. Nam si litus est scopulosum et saxosum, non audent quovismodo mari fremente prope litus accedere, causa praedicta: ideo iterum oportet saltare, vel super scopulos vel in mare: et cum hoc oportet bene et caute observare recessum maris, quia dum adest, etiam scopulos altos operit; ideo sunt communiter aliqui servi in portubus, qui ad maris recessum currunt ad barcam, et eportant eos, qui volunt eis dare denarium, et festinant, ne mare accurrens eos inveniat. Haec et his similia multa videt mare transiens. Nunc ad propositum regrediar. Itaque ad litus perveni cum quibusdam peregrinis et galêotis, et fecimus in litore ignem, et per colles deambulavimus, et ita diem illum usque ad vesperas deduximus, et sero in galêam reversi sumus ad coenam victo periculo saltus de barca in galêam.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;